



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

4. Mortificatio Visûs.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

- II. Tussio pectoris, à Publicano & aliis usurpata, cum intimo dolore. S. Ang. Epist. ad Seleucum.
- III. Eleemosynæ largitio, & quilibet fervens actus charitatis. S. Aug. Serm. 41. de Sacram.
- IV. Jejunium, & aliæ castigationes corporis. S. Chrysof. hom. 60. in Gen.
- V. Pœnitentia vel dolor animi, gemitus, lacrymæ, confessio, examen conscientie. Chrysof. l. c.
- VI. Aquæ benedictæ aspergio, cum contritione vel dolore. Alexander I. Papa. Et D. Thom. 3. p. q. 78. a. 3.
- VII. Benedictio ab Episcopo data, & id genus similia, quæ peccata venialia delent.

PASSUS IV.

Mortificatio Visûs.

TEXTUS.

Ascendit mors per fenestras.
Jerem. c. 9. 21.

Cognitio.

Magna est oculi & cordis sympathia: ex visu enim facile amor & concupiscentia

tia oritur: *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum & scandalum.* Unde monet Salvator: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum.* Matth. c. 5. v. 29. Id est, abnega, mortifica, ne peccatum & animæ mors per fenestras illas intret. Mortificatio autem hujus sensus in eo est sita; ut nihil indecens, nihil ad peccatum irritans, malitiosis, aut curiosis oculis fixè intuearis. Idque 1. in proprio corpore. 2. In alieno, maximè sequioris sexûs. 3. In imaginibus, picturis, statuis. 4. In libris, historicis, poëticis, anatomicis. 5. In comædiis, & tragediis profanis. 6. In mundanis chœreis & tripudiis. 7. Denique in variis rebus, in domo, templo, & platea occurrentibus.

Consideratio Motivorum.

Quis, obsecro, oculos, non omni sedulitate custodiat; si tela lethifera per eos in animam immissa, & causata inde vulnera & funera perpendat? 1. Si enim Eva pomum visu pulchrum non fuisset intuita, non fuisset seducta. 2. Si David oculos improvidè in Bethsabeam non conjecisset, anima ejus non fuisset lethaliter sauciata. 3. Si Holofernes à Juditha compta oculos avertisset; non fuisset captus in oculis suis, & capite truncatus. 4. Si Samson à Dalila, Salomon ab Alienigena, senes depravati à Susanna conspi-

28 SEMITA PERFECTIIONIS.

cienda, oculos cohibuissent; nunquam in tale præcipitium corruissent.

O quis igitur sibi non caveat? Non es innocentior Eva; nec Davide sanctior; nec Salomone sapientior, nec Samlone fortior, nec senibus illis nequam, ætate major; & tamen tam oculis liber es. Si sapis: *Averte oculos tuos, ne videant vanitatem.*

Petitio.

Concede mihi, Domine Deus, ejusmodi cum oculis meis fœdus pangere; ut nunquam evagentur ad ea, quæ animæ mortem inferant. Quid enim volo videre, quod non licet habere? Quid volo aspicere vana, speciosa, curiosa, fœda, periculosa, & noxia, quæ cor non satiant; sed turbant: non recreant; sed inquietant, & non rarò, instar basilisci, intuitu perimunt.

Da mihi igitur, oculos à vanitate avertere; & ad te Deum meum, omnis pulchritudinis fontem, eosdem elevare; ne unquam deprædentur animam meam, & necem inferant sempiternam.

Aspirationes.

I. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem. Psal. 118.*

II. *Rector mi, averte à me oculorum elationem, & curiositatis pruriginem. S. Aug. Med. c. 1.*

III. Tribue mihi, Domine, tam cautè visum custodire; ut nunquam me ad peccandum valeat seducere.

PASSUS V.

Mortificatio Gustûs.

TEXTUS.

*Non est Regnum DEI esca
& potus; sed justitia, &
pax, & gaudium in Spi-
ritu Sancto. Rom. c. 14. 17.*

Cognitio.

GUSTUS, à perfectionis studioso, ita frœ-
nandus est; Ut. 1. Voluptas, quæ pe-
dissequa est, necessitatem, quæ domina est,
non præcurrat, & intentionem comedendi
vitiet; sed sequatur, nec queratur. 2. Men-
sæ benedictio & gratiarum actio non negli-
gatur. 3. Dum quis sanus est, cibis commu-
nibus acquiescat, delicatiora non appetat. 4.
Nimiam ciborum varietatem fugiat. 5. Ita
comedat, ut non totus comedat. 6. Bolum
unum alterúmve delicatiorum Christo sacri-
ficet.